



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Bynaei de Calceis Hebraeorum Libri Duo

Bynaeus, Anthony

Dordraci, 1682

Pittacium quid?

urn:nbn:de:hbz:466:1-12835

infimæ teguntur, sæpe sumitur. Sed quia soleæ ex corio fieri seculis omnibus consuevere, quo facit hic Isidori locus: *Soleæ materiales ex materia corio intexta*, ideo & pro corio Græci *πέλμα* usurpant. Ut *συνδάλλια προτεπελεματωμένα* sint *calcei diversis solearum sive corii frustis suppositi*. Paria habet Hieronymus, sive quisquis auctor est versionis Vulgatæ, qui reddit *Calceamenta perantiqua, quæ ad indicium vetustatis pittaciis consuta erant*. Vir undiquaque eruditissimus & acris iudicii Andræas Masius, qui luculento commentario Josuam illustravit, *Nomen פיתא significare dicit, id quod ex aliis atque aliis frustis, sive ut vocant, pittaciis consutum compactumque est*: Nam, inquit, *apud doctores Hebræos פיתא pro pittacio usurpatum me legere memini*. Ita sane est. Locus insignis est apud Davidem Kimchium, quem mox adducam. *Pittacium* autem apud Latinos pro brevi epistola sumitur, ut Isidorus exponit. Pro *Alba* Lampridius usurpat: *De promovendis*, inquit, *etiam sibi annotabat, & perlegebat cuncta pittacia*. Notavit ad

B 5 eum

Isid. lib. 4.
19. cap. 3

Masius ad
Ios. 9. 5.

Lamprid.
in Servio
& ibi.
Casaub.

34 DE CALCEIS HEBRÆOR.

eum locum magnus Casaubonus Pittacia dicuntur pice vel maltha illarum breves tabulae, in quibus elogia scribebantur, & id genus alia, quae paucis verbis possunt comprehendere. Ut illa Polybiana pittacia de quibus aliquid ad Suetonium notare meminimus. Ego vero pittacia etiam scedulas fuisse puto è membrana excisas, in quibus gnomas & breves sententias scribebant. Sane Polybii pittacium, quod ad Suetonium Augustum notavit vir magnus, in quo quaedam gnomae erant descriptae, nihil aliud mihi fuisse videtur quam parva membranae scedula quam ad Demetrium misit. Atque idem Augustus in illo Suetonii loco mihi factitasse videtur. In evolvendis, inquit, utriusque linguae auctoribus, nihil aequè spectabat quam praecepta & exempla publica vel privatim salubria: eaque ad verbum excerpta, aut ad domesticos aut ad exercituum provinciarumque rectores, aut ad urbis magistratus plerumque mittebat, prout quique morum indigerent. Scilicet Augustus excerptas veterum sententiarum parvae membranae scedulae inscribebat.

Casaub. ad
Suet. Aug.
cap. 89.